



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

De veste Diaconorum. Olim Colobium, nunc Dalmatica. Ejus origo, forma,  
& usus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

*De veste Diaconorum. Olim colobium,  
nunc Dalmatica. Ejus origo,  
forma, & usus.*

XVIII. **D**iaconorum proprium indumentum nunc est Dalmatica ex institutione sancti Sylvestri, qui, ut legimus in ejus actis, præcepit ut Dalmaticis in Ecclesia uterentur, cum antea teste Alcuino Colobiis uti solerent. Erant autem colobia tunicæ sine manicis, non quod prorsus manicis carerent, sed quia ad cubitum tantum pertingebant. Dalmaticæ verò manicatæ erant, talaris, sericæ, albæ, auro ornatae, & plagulis seu clavis ex purpura assutis distinctæ. In Dalmatia primum inventa, & illinc Romam translata sunt, unde & nomen acceperunt, sicut ait Isidorus lib. 19. Orig. cap. 22. Clavatas fuisse purpura præter Isidorum ibidem, asserunt alii scriptores. Ecclesiastici diversis vocibus clavos explicantes. Ait enim Rabanus, habuisse dños tramites, Alcuinus duas virgulas, Amalarius duas lineas, alii duas zonas purpureas. Remansit itaque in Dalmaticis priscus mos angustorum clavorum, ut scribit Rubenius lib. 1. de re vestiaria cap. 8. qui ideo existimat, datam Diaconis Dalmaticam angusticlaviam, ut inferiores Presbyteris censerentur, qui latum clavum portabant, quæ erat vestis senatoria unico clavo purpureo distincta, qualia fuisse colobia Monachorum docet Dorotheus serm. 1. dicens, *signum purpureum assumimus in colobium nostrum, inveniunt nos in Christi militiam adscriptos esse, & universas afflictiones ejus sustinere debere: etenim quando passus est Dominus noster, gestavit purpureum vestimentum.* Purpurâ autem etiam clericos quondam usos, patet ex Concilio Narbonensi apud Baronium anno 598. nam usum purpuræ Clericis interdixit. Hodie duobus angustis clavis ornatur Dalmatica, nullâ habita ratione coloris purpurei, imò aliquando sine clavis fit. Planeta verò uno lato clavo distinguitur, qui in multis adhuc apparet ex utraque parte in crucis figuram formatus, quia ut ait Tertullianus lib. de cor. mil. cap. 13. *Illic purpurea sua sanguis Domini, & laus in cruce ipsius.* Dalmaticam Romanis in usu fuisse Lampridius testis est, qui de Commodo & de Heliogabalo Imperatoribus scribit in dedecus & probum ipsorum, quod Dalmaticam publicam processerint: vel quia mollium & delicatiorum vestis censebatur, vel quia exotica & Romanorum oculis inusitata erat. Ejus fit mentio in Actis S. Cypriani, sed sacrane an com-

munis illa fuerit, diversæ sunt sententiæ. Ego omnino communem fuisse credo: illo enim ævo nondum ad usum sacrum translatum fuerat. Eutychianus Papa constituisse dicitur in libro Pontificali, ut, quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine Dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret, quod honoris causa constitutum reor. Sed cum idem honos summis Pontificibus, ac ipsis etiam (\*) Diaconis tribueretur, ut Gregorius indicat lib. 4. Dialog. cap. 40. decreto suo idem lib. 4. epist. 44. sancivit, ne feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, Dalmaticis tegetetur. Differit de Dalmatica Baronius in notis ad Martyrologium die ultima Maji, cujus in ea describenda lapsus notavit Ferrarius lib. 3. de re vestiaria cap. 9. Proprium quoque Diaconorum ornamentum apud omnes nationes orientales & occidentales, est stola sive orarium in humero sinistro, de quo supra actum est.

(\*) s. Martyribus.

*De vestibus Subdiaconorum. Olim sola Alba  
usebantur, postea Tunicam & Manipu-  
lum addiderunt. De Planetis, quæ  
antiquitus communes erant omni-  
bus Ordinibus.*

XIX. **S**ubdiaconi Romanæ Ecclesiæ, sedentes in Apostolico throno Gregorio Magno, sola Alba induti suo ministerioungebantur: quem morem alias Ecclesiæ ab ipsa Romana accepisse idem Gregorius asserit lib. 7. epist. 64. ad Joannem Syracusanum. Postea, teste Honorio in Gemma animæ lib. 1. cap. 229. duæ illis vestes peculiare tributæ sunt: Tunica, quam subtile vocat, quia subtilis contexta, & sudarium sive mappula, cui hodie successit Manipulus. Constat autem ex ordine Romano, magnum olim discrimen inter Dalmaticam Diaconi & Tunicam Subdiaconi extitisse: nam titulo de ordine processionis ante Missam loquens de vestibus Diaconorum stolas & Dalmaticas recenset, Subdiaconis verò sibi congruas vestes præbendas efficit, quæ apud quosdam, inquit, *Subdiaconales nominantur, & mappula in sinistra manus ferenda:* sed quæ illæ fuerint nominatim non exprimit. Nulla nunc differentia reperitur inter Dalmaticam Diaconi, & Tunicam Subdiaconi, nisi quod hujus manicæ strictiores & breviores sunt: quæ differentia sæpè etiam negligitur. Diebus jejuniorum & in adventu tam Diaconi quam Subdiaconi